

Pharnaceum pedunculis communibus longissimis
 LINN. *Cliff.* 492. vel sola villositate communiumque
 pedunculorum longitudine et umbellis magis compositis
 differt. Alfine procumbens Gallii facie Africana, HERM.
 LVGDB 19. cum ic. perquam similis est, sed multo
 ramosior, et latioribus foliis praedita, et pedunculis
 plerumque simplicibus pluribusque simul, quum in
 nostra planta umbellatim diuidantur, et solitarii sint.

In icone nostra planta ad viuum picta flosculus
 vnus vi deductus est, et ad latus appositus, vt stamina
 in conspectum prodeant.

In campis sterilibus orientalibus ad *Irtim* fluum
 inter arces *Iamischewensem* et septem palatiorum magna
 frequentia occurrit.

80. *CANNABIS* foliis digitatis, LINN. *Cliff.* 457.

El. Sp. pl. 2. p. 1457. ROY. *pr* 221.

Cannabis sterilis et foecunda, DOD. *tempt.* 535.

Cannabis mas et foemina, I. B. III. 447.

Cannabis erratica et satiuua, B. *pin.* 320.

In *Ircutensi* prouincia ad tuguria *Buraetorum* et
 in *Isetensi* apud *Krasnoiarenfes* Tataros saepe vidi, sed
 valde macram, superioribusque foliis tantum trifidis.
 Gentes hae cannabin non serunt, nec suae nec aliarum
 rerum culturae studiosae, quare fere credo, sponte apud
 ipsos prouenire, nisi forte casu a Russis semina allata
 sint.

Russice Канавлю (Kanaplio) dicitur.